

99
L. 983.

Yd
5894

ELOGIVM
VILLAE SCHLEVSIGENSIS

A D

IVVENEM GENEROSISSIMVM
GE. LVD. WICHMANNVM
A WARNSDORF
E SOLENNI CONFLICTV LITTERARIO
REDUCEM.



LIPSIAE
LITTERIS LANGENHEMIIS.

1501
SCHOLARIA
HISTORICA
THEATRUM
CIVITATIS
MAGDEBVRGENSIS
IN
TERRITORIIS
DUOMA
TUR
M
TE
P
AB
LI
SI
Q
SI
P
C
O



Meministine, W A R N S D O R F I suauissi-
me, vt praeterita aestate, qua con-
tubernales eramus, interdum ab aestu po-
meridiano languidi, primo, vt fit, men-
tem oculosque a libris conuerteremus ad
praedicandam coeli serenitatem: deinde,
alterutro sapienter monente, non immori
litteris decere, e museo in secessum Schleu-
sigensem aufugeremus? Age nunc quo-
que t e, iam expeditum e strepitu syllogi-
smorum, ducam, sed oratione tantum,
per illas amoenitates, in quibus haud pau-
cos dies iucundissime condidimus: ita
omnia describendo, vt absfuturus olim,

cum ipso rei fructu careas, certe imagine eius pascaris.

Mirentur alii cultissimos hortos Wenceslai, aut Rudolphi: laudent alii regnum deliciarum pistoriarum, peruagenturque curiosis oculis prouincias eius, affluentissimas formis puellaribus, cincinnatorumque hominum genere, qui perpetuo voto pilei sub bracchio gestandi se adstrinxerunt. Me nec tam villa Rasconicensis, quamuis amoenis lucis circumsepta, nec tam prominens in molli fastigio Gaudium delectat, quam domicilium *Felicis*, olim optionis apud legiones Caesareas primarii, nunc procul tubis et tormentis bellicis ad Lipsiam in otio rusticantis. Duacerunt huc viae: altera eaque longiori veniunt, qui equo rhedaue vehuntur: altera vtuntur pedites. Haec, vbi hortos Fregianos transieris, primum recto longoque limite protenditur inter arbores aequis spatulis dispositas, et amnem, ligna scissa cibibus visuris aduoluentem: deinde flexa intrat campum late diffusum, illum, in quo dimetiendo quotannis artis Euclideae tirones non minus fatigari solent, quam qui

qui olim iussu regis Galliae formam orbis terrarum explorarunt. Varia hinc atque inde facies. Imprimisque patet pulcerissimus urbis adspectus. Aedificia, coelo minantia, nescio quid maiestatis spirare videntur, mentesque contemplantium admiratione perfundunt extolluntque. Ab hac magnificentia ubi deflexeris oculos ad regionis circumiectae vultum modestum, et veluti gratiis veneribusque entitentem, habebis lepidissimam Kochiae, Seyleram in scena excipientis, imaginem. Sed viam per sequentibus aperitur pratum, quod in magnam frontem euectum, nemoroſo latrum orbe cingitur. Tum angusto tramine, multisque anfractibus sinuato itur per amoenas umbras et opaca siluae quiddam agreste resonantis, riuo super molem in alueo exstructam se praecipitante.

Multa nuperrimis ordinum comitiis consultata in commune bonum esse dicuntur: nullusne fuit, qui mentionem iniiceret viae per hanc siluulam latius perrumpendae, quo iumentis etiam, vehiculisque apta fieret? Siue sim, siue per mendacium appeller poeta; certe nomen eius sideribus

inferam, qui, quantum in hoc consilio
momenti positum sit ad incrementa Aca-
demiae, commerciorumque, ita intelle-
xerit, ut exequendum perficiendumque
curet.

Vbi peruenieris ad nemus extremum:
iam translucet per arborum frondes villa
amoenissima: superato cliuo non admo-
dum aspero, mox in illius finu requiescas.
Atque hanc describere cum aggredior,
vos, qui Critici vel estis, vel esse vultis,
rogo: si loci pulcritudine incitatus, inter-
dum poetice magis, quam humane locu-
tus fuero, ne ingenio meo, ut quondam
populus Eumolpo solebat, lapidibus ap-
plaudatis. Qui enim rem pulcerrimam
oratione tractat, isne facilius commotio-
nem sanguinis inhibere potest, quam qui
puellis forma praestantibus assidet?

Instar Diana, in comitatu Nympharum
altissimae, eminet inter circumiacentes ca-
sulas regia Felicis nostri, vere felicis: simi-
lis ipsa situi vniuersi terrarum orbis. Ambi-
titur enim omnis Oceano, qui primum an-
gusto spatio coarctatur, tum generose in-
digna-

dignatus, ad laeuam dextramque latius se
pandit, summoetque vaste cedentia littor-
a. Domus ipsa splendescit mundicie cul-
tuque, non magnifico illo quidem, tamen
eleganti. Parietum vestibus appicta varia-
rum rerum argumenta. Hic in mari tur-
bulento fluctuat ratis, iamiam naufragium
passura: illic iuxta pauperum tabernas su-
perbiunt regum palatia, quasi non esset,
quod timerent illud: *pallida mors aequo:*
alibi torum gramineum premit soror Apol-
linis, a venando lassa, comitumque cho-
ro stipata. Harum quidem imaginum
extremitates ne putas ea esse subtilitate ad
naturae similitudinem praecisas, vt ab An-
gelo aut Raphaele profectas suspiceris: ta-
men pessimas esse nego: idque propterea,
quod orationis panegyricae lex est, vt
omnia laudemus, nihil reprehendamus.
Quae professio quidem non eo valere de-
bet, vt, cum in caeteris verum dixero,
per huius legis calumniam fidem amittam.

Praetorium satis amplum et capax: es-
setque, si quae instituerentur, saltationibus
accommodatissimum. Hic late circumspi-
ciendi libertatem naestus, admireris singu-
lare

lare regionis ingenium et supra, quam ut
 facile describi possit, amoenum, Omnia ar-
 ridere, omnia hilaritatem inspirare. Quem
 enim non delectat illa, modo messibus,
 modo graminis smaragdino virore distincta
 planities, terminataque eadem partim coeli
 deuksi procliuitate, partim circumscripta
 siluarum ambitu, quae longius, quam ut
 oculorum prospectus persequi possit, con-
 tinuatae procurrunt? Repercussam e lacu
 subiecto nubium solisque faciem, agrico-
 las arationi, aut segeti, iam maturae, de-
 metendae intentos, mixtamque rusticis
 puellis societatem foena congerentium,
 quis non libenter intueatur? Haut procul
 porrigitur pratum, paulo altius demissum:
 in eo dispersos videas ouium greges pa-
 bula carpere, dum interea pastor baculo
 innixus, canem assilientem ipsi, blanditias-
 que ingerentem, manu verbisque mellitis
 demulceat. Alibi lasciuiunt in herbis ar-
 menta soluta: taurus auctoritate grauis du-
 cit turmas, impetu aequo coeco sequentes,
 ac multi philosophicae familiae, cui se
 manciparunt, auctorem. Hic olim nihil le-
 pidius vidi pugna taurorum, nescio, vtrum
 de syllaba scriptoris antiqui, an de amori-
 bus

bus inter se decertantium. Iam obnixis
cornibus in proelium ruerant: iam mugi-
tus regionem implebat; aduolat pecoris
magister, dirisque verbis, verberibusque
saeuiens, feroce gladiatores admonet le-
gum, certamina singularia interdicentium.
Diebus nundinalibus cernere licet redeun-
tes ab vrbe, cuius nutritores sunt, rusti-
cos, aniculasque ab oneribus incuruas.
Lento admodum gradu sese mouent, fal-
luntque viam confabulationibus amicis,
quibus si aurem admoueris, miras senten-
tias de pace et bello, prauis temporibus,
nimiaque portitorum exactorumque seue-
ritate audias.

Sed quid dicam de ortu solis, quem ali-
quando hinc speculatus sum? Nihil sane
tam magnifice praedicari potest, quin su-
peret spectaculi diuinitas. Meministine,
WARNSDORFI Amicissime? Pernoctati
eramus hic, reditu propter imbræ impro-
visos, quibus fulgura et tonitrua accede-
bant, impedito. Primo sub diluculo ex-
cussimus somnum: pluinosam noctem ex-
cepérat matutini coeli serenitas: altum vbi-
que silentium videbatur numinis alicuius

* 5 aduen-

aduentum expectare: nisi quod alaudae venientem iam auroram concentibus salutabant. Ab huius admiratione nondum ad nos redieramus: ecce eadem regio coeli, quae rubuerat antea, paulatim aureo colore suffundi: mox per arborum cacumina sparsi ignes emicare: iisque auctis, et in omnes partes vibratis, ipsa solis facies effulgere, terris adhuc annexa illa quidem; mox plenior facta, attolli. Tum guttulae in herbis et arborum frondibus pendentes, veluti totidem specula, solem exceptum reddere, omniaque viuidius efflorescere. Haec contemplati, quibus sensibus commoti sumus! quae voluptas, immo quis horror intimas venas atque medullas peruersit! Est profecto ille dies in iis, quorum memoria semper delector, nunquam satior.

Adiacet villaे hortus, muris virentibus circumdatus, sed non perpetuis: intermittunt enim, ubi prato vicino lateque extenso connectitur. Non sane quisquam hic requirat signa marmorea, amoenos fontes salientes, aut arbores terrae peregrinae adsuescere doctas: non illa decent vitae rusticae simplicitatem: verum ostendam

dam lacta gramina, arbores frugiferas,
easque in ordinem certaque interualla red-
actas, fluuumque; quo alluitur hortus,
adeo pellucidum, vt arenam lapillosque
profundos perspicere possis. Neque haec
amoenitas deficitur xystis, egregiis aduer-
sus aestum receptaculis.

Multi conueniunt hospites: sed regnant
imprimis iuvenes academici, hasque deli-
cias possessioni sua subiecisse videntur. Hic
eorum coetus et commessationes. Sed
omnino remota hinc est profanitas eorum,
qui, dum hilares esse volunt, inter impor-
tunos strepitus et clamores omnem elegan-
tiae et humanitatis sensum abiiciunt. Eant
isti barbari, quo velint: in hoc solo aequa
parum viuere possunt, ac in Iuica, insula,
anguillae. Videntur omnes, qui in villa
nostra frequentes esse solent, taciti paetum
iniisse, vt a nemine per iocos et lusus pre-
cepra honestatis et decori violentur. At-
tamen si quis forte post tres quatuorue an-
nos haec legerit, is cogitet scripta esse an-
no C. N. MDCCLXXVI. Passim disper-
gitur agmen, quolibet eam, quae maxi-
me placet, remissionem animi quaerente.

Sunt,

Sunt, quos iuuet cymbam concendere:
 Alii humum potius amant, in eaque per
 herbam fusi, e vimineis calathis cerasa com-
 edunt: alii pedum rectorum ministerium
 aspernantes ioci causa ligneis incedunt: gi-
 gantum fratres videre credas. Suspensus
 a binis arboribns demittitur funis, in quo
 nec desunt, qui iactari se patiantur: pars
 ambulat. Interea desident in procoetone
 rhedarii ad cyathos, fumique per fistulam
 ducti nubeculas: omnemque ingenii vrba-
 nitatem apud ancillas praetereuntes consu-
 munt.

Sed quis poterit omnes huius villae ille-
 cebras oratione complecti? Huc, huc elab-
 tur ex vrbe fumosa, quicquid est puel-
 larum venustiorum, dum aetatis et anni
 pulcerrima tempora ad laetitiam inuitant.
 Quaecunque praedicantur in carminibus vi-
 tiae rusticae amoenitates, hic gustandas por-
 rigit ipsa rerum natura. Sunt flores, qui a
 vobis in serta consociari, et ad sinum ve-
 strum dulciter emori cupiant; pollicetur
 suave refrigerium Fauonius, ipsaeque aui-
 culae, vobis praesentibus, dulciora solito
 carmina fundent. Vnum, quod deest huic
 loco

ere:
per
om-
um
gi-
sus
quo
pars
one
am
ba-
su-
lle-
ela-
el-
nni
nt.
vi-
or-
i a
e-
ur
ui-
to
ic
co

loco decus, Vos estis. Atque etiam, cum vos constet nunquam otiosas esse, semper aliquid agere, habetis toros herbaceos, in quibus tibialium contexendorum artificium commodissime succedat. At o me, magisne dicam, miserum, an ineptum? qui raucus declamo ad rudes expertesque litterarum latinarum! Enimuero autem, si me gratiam aliquam scirem initurum apud vos, hunc libellum germanice redderem, praesertim cum, vtrius linguae minimum gustum hauserim, ipse mecum certare soleam. Tu vero, cuius praedium oratione panegyrica extuli, si fortasse mihi statuam decreueris, te nihil aliud fecisse putato, quam quod ius fasque efflagitaret.

Atque haec ad T E garrire volui,
W A R N S D O R F I Carissime, cum familiares T V I hoc negotii mihi dedissent, vt ipsorum verbis gratularer T I B I de certamine litterario feliciter finito, T I B I que persuaderem, noua se felicitatis accessione auctos sibi visum iri, si in omnibus rebus, quas animo destinasti, fotuna votis responderit T V I S. Nominatim sunt I. A. Beck, C. Gu. Beck, C. F. a Brand, A. S. a Burkers-

kersroda, C. B. ab Ende, F. A. ab Ende,
F. Gu. Goetze, *A. M.* Ad. a Griesheim,
C. a Griesheim, R. A. ab Hesler. F. H.
ab Hesler, I. C. Krochmann, I. A. a Kutz-
schenbach, I. C Marschall, I. C. a Nostitz,
I. C. Oettel, C. F. a Reibold, C. F. Rich-
ter, I. A. B. Richter, L. Rodowe, C. A.
a Watzdorf.

Vale, nobisque amorem t v v m serua.



nde,
eim,
H.
utz-
itz,
ich-
A.

rua.

T
S
D
P
E
G
am
190
Buc
sp
Rob
D

YD 5894

6A

X 3192015

n.C

B.I.G.

